

EXAMEN VARIARUM LECTIONUM,
QUAS AD TEXTUM JESAÏÆ HEBRÆUM
ALEXANDRINA VERSIO EXHIBET.

Cujus

PARTEM PRIMAM,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

Modeste sistunt

JACOBUS BONSDORFF,

Philos. Mag.

Et

ERICUS E. EDNER,


Satacundensis.

In AUDIT. MAJORI die **XIII.** April MDCCLXXXVI.

h. a. m. s.

A B O Æ,

Typis Viduæ Reg. Acad, Typ. J. C. FRENCKEL,

IN
SACRAM REGIAM MAJ:TEM
MAGNÆ FIDEI VIRO,
DIOECESEOS ABOËNSIS EPISCOPO,
REGIÆ ACADEMIÆ PRO-CANCELLARIO,
MAXIME VENER. CONSISTORII PRÆSIDI,
REVERENDISSIMO DOMINO,
DOMINO
JACOBO
HARTMAN,

AVUNCULO PROPENSISSIMO.

Roris exsortem, velut in patente
Editam campo segetis feracis,
Fervidus torret penitus uelurit
æstus aristam;

Alma sic languet pietasque, mentis
Luxque, virtutum genitrix, profundi
Præda contemptus, nisi perbenigno
fota favore.

Ergo Te, Præsul, sua vota versus
Tendit enixe, nimium iniqua
Sorte conflictans chorus Aonas qui
excolit artes.

REVERENDISSIMI TUI NOMINIS

cultor devotissimus

JACOBUS BONSDORFF.

Plurimum Reverendo & Præclarissimo Viro,
DOMINO MAGISTRO
PETRO BONSDORFF,

Ecclesiæ, quæ Deo in Hauhoa colligitur, Pastori
adcuratissimo.

PARENTI OPTIMO.

Ὁ Θεὸς, Πάτερ χαριέδωτ', αἰετῶν γε γενόμεν
Ὡν ἐνεργειῶν διὰ σοῦ Θεὸς μὲ ἴδωκε,
Τοῦδ' ἂν ἔγω πάντως μάλα ἐνδαιμόν καλεῖσθην;
Ἄλλα μακρότερος, ὅπποταν ἦθεα κίθια φυλάσσω
Τοῖς μ' ἀπο τῶ παιδός, πολυμήτις ἔηδα ἐδίξων.
Ὡς δ' ὅτε τις κητέρος ἀνὴρ ἐν γένω ἀλλοῦ
Ἐθροφεν νεὸν ἔργος ἀνερχομενὸν ἀπαλόντε
Πολλὰ σοφῶς ἀπο χειμερῆς κρύεος ἢ ἀπαιμυνῶν
Πόλλοις ἠδὲ βίας δεινῶν ἀνεμῶν ἀλσωνῶν
Καὶ ἄμβρο, ὅτε κύμα θεῶν βοτάναις κατακλυσσε;
Τόσσα δὲ σοὶ παρ' ἐμῆς βιοτῆς συνεχῶς βρα μεμήλε,
Πάντι ὑφ' ἡματι, ἂν λαμπρὸν Φαῖος ἡλίου
Δεσφόμενος μευ ἔην. Σοὶ γέν, περιφίλτατα πάντων,
Παντάγαθος Θεὸς ὅσπερ ὑπέρτατα δώματα ναίει,
Δοίη, ὡς κεν εὐφρονα μακρόβιον τε γένεσθαι
Καὶ ἐπὶ γήραος ἔσχατον εὐτυχεῶς ἀφίεσθαι
Τέρμα δ' ἀτερ χαλεπῶιο πονοῦ. Ὑπερδὲ δε μίθου
Τῆς γλύκερης τε καὶ ἀθανάτης ζωῆς σε δεχεσθαι.

PARENTIS INDULGENTISSIMI

filius obedientissimus

JACOBUS BONSDORFF.

Examen variarum Lectionum, quas
ad textum Jesaiaë Hebræum, Alex-
andrina versio exhibet.

Prolemium.

Quamvis naturalis cujusdam regionis situs, oberranti
cuilibet aut diutius lustranti exhibet varietatis, tan-
tum quoque Litteraturæ Hebrææ patentissimus campus,
qui ut insigni rerum circumquaque stantium copia & or-
nata distinctus, ita haud levissimis obstitus est obstaculis,
unicuique his intento studiis illius offert. Hinc pro di-
versitate & rerum partiumve Hebrææ cognitionis & im-
pedimentorum ejusdem, varie se exseruit insignium vi-
rorum industria & indefessus labor, quo non modo illas
nova luce augere atque argumentis firmare, verum etiam
hæc e medio tollere enixi quidem sunt, eundem tamen
semper non habuisse successum deprehenduntur. Etenim
aliud in hoc negotio sperari vix potuit, ubi præterea in-
genia diversa semet eidem applicuere; neque in magnis
volvendis saxis, par omnino robur omnium insidet pe-
ctoribus. Dissimilibus vero ex Interpretum Sacrorum Bi-
bliorum conatibus, diversisque materiæ tractandi mo-
dis æque ac e maximis eorumdem divortiis, purissimum
sæpe manare posse fontem Biblicæ veritatis, nemo infi-
cias ibit, qui rite perpenderit, tantam sine acutiorum Phi-
lologorum & Criticorum contrariis tentaminibus, non
expectandam fuisse lucem, quam tamen jamdiu, licet
non plenissime, exortam esse, merito gaudemus. Clario-



rem enim illucescere videmus diem, postquam nebulositas fugaverit noctes benignior aura, quam si numquam cœlum infuscaverint nubes ullæ; atque in pugna quadam sententiarum altius omnino caput exserere poterit veritas, quam in perpetua requie aut socordia. Itaque avi quod vivimus, felicitati tribuamus oportet, quod intenderint Critici ingenii sui aciem in omnes partes, atque alacriori licet quoque audaciori nonnumquam animo ante impervias petierint vias, quibus alter altero citius propiusve attingeret metam. Quos quum perspicimus, jam hanc arripuisse libentius hypothésin, jam aliam contrariamque, lucro id cedere Philologiæ in universum spectatæ, nemo non fateatur æquus rerum arbiter. Neque tamen diffidendum est, remoram quamdam nec levissimam Hebraicæ eruditionis amplitudini objectam fuisse nimio hypothésium condendarum studio, quas toties pro aris veluti & focis defendere sustinuerunt multi, unde quoque factum ut interdum limpidissimus S. Codicis textus & sensus nonnihil sit impeditus. Incendit enim haud raro animum tanta suarum partium voluptas, ut fines excessisse, iustoque plus iudicandi facultas subterisse in partibus videatur. Non autem instituti ratio eo nos perducit, ut sive in universum de Critices usu & necessitate præcipiamus, sive Hebrææ criseos fontes omnes, vel generatim vel singulatim perstringendo adeamus; Usus enim Crit. si spectetur, nemini non obvium esse potest, ex emendata & genuina lectione pendere non modo elegantiam & vim dictionis, verum etiam primævum Sacrorum Auctorum consilium atque Hebræam originem. Ad fontes autem Crit. quod attinet, magnam variantium lectionum partem, quam & Msc. codicum copia exhibet & Rabbinoꝝ industria depromsit, alias ut taceamus varietates ex errore & lapsu ortas, ad orthographicam linguæ Hebrææ

brae analogiam pertinere, manifesto satis ex assidua earum collectione elucet. Exemplo sit Hol. II. 5. in quo plenior vocabuli מַיְוֹשׁ scriptio, evicta & probata obvenit in Diff. ad h. I. Præf. Cel. AURIVILLIO, beat. memor. Upsal. Nuper quoque catalogum variarum lectionum e Rabbino Raschi dedit Cel. TYCHSEN in Repertor. Or. & Hebr. Litterat. Part. I, unde facile patet, diversitates, si quæ sint alicujus momenti, grammaticam tantum attingere. Alius vero & ambigua videntur esse indolis, quas antiquæ versiones servaverint vel potius proderint scriptiones a textu hodierno alienas. Hinc nimirum factum est, ut præpropere masorethicam deferentes lectionem, alii Alexandrinum Interpretem, alii Syrum alii Chaldaicum, Vulgarum denique alii, magis prætulerint ducem sive in constituenda textus origine, sive sensu verborum indagando. Nec tandem conjecturis alii supersedendum putarunt, cujus generis instrumenta critica, præ ceteris nimis adhibuit Cl. HOUBIGANTIUS, summo propterea jure ab Illustr. J. D. MICHAELIS, in Præfat. ad Colleg. Crit. reprehensus, cfr. quoque Illustr. EICHORN Introd. ad V. T. §. 404. ubi sobrium occurrit judicium de critico hocce adminiculo per conjecturas parto. Magna vero in copia & diversitate criticorum fontium, nos ansam ab aliis subministratam, examinandi usum Alexandrinæ versionis in dijudicanda primæva textus facie, arripuimus, insimul sperantes, si vel tenue nec maturum tatis sit judicium nostrum, quod Benev. Lect. examini jam subjicitur, officio tamen nos non plane defuturos fore.

§. I.

Obtinuit vero Alexandrina versio Græca, quæ LXX viralis vulgo appellari soevit, mox ab initio suo, magnas

apud Criticos & Sacr. pandectarum Interpretes laudes, fidemque haud sane exiguam, sed tantam, quanta fere ad sui auctoritatem cum originaria scriptura æquiparandam sufficeret. Ut enim originis ejus & vicissitudinum, quas subierit jam faustarum jam infestarum, verbo, universam ejus historiam ab aliis (a) copiose jamdiu tractatam non attexamus, nonnihil tamen in antecessum juvabit mone-
re, quod pretium versionis hujus internum, hoc vero est, utum quem in Hebræa crisi præstat, indagandum attingat. Atque de Auctoribus translationis hujus, tempore locove quo confecta sit, nihil certi & definiti statuere patitur spilla quæ in hac veluti regione nobis obvolvitur noctis umbra; quandoquidem fabulosam Aristææ, quæ basis erat tam PHILONIS & JUSTINI Martyris quam Epiphaniï aliorumque relationum, quæque ad firmandam augendamve publicam versionis hujus in Alexandrina primum & reliquis Ægyptiacis Synagogis, deinde in Christianis cœtibus auctoritatem composita videtur, narrationem, acutissimi viri dudum explosam reddidere (b). Neque valde improbabile quin certum erit, si stilum nominatæ versionis per omnes libros examinaveris, statutu-
pertinere eam ad diversum non solum tempus diversosque auctores, sed etiam privata ab initio opera, quemadmodum etiam plurium posteriorum Græcarum versionum similis fuit ratio, factam fuisse. At magis dubia est, quæ tanto ardore in utramque partem recenti hoc ævo Philologorum exercuit ingenia, ut discerpta & fluctuantia eorum studia cernas necdum præ tantis dissidio-
rum

(a) Cfr. EICHHORN Einleitung ins Alt. Testam. §. 161. — 184. & HARLES Introd. ad Histor. Lingu. Græcæ pag. 591. — 614. WALTONI Prolegomen. reliqu. (b) Vid. EICHHORN cit. loc. GRAFFMANNI Hypothesen ad hypothef. de Cod. Ebr. Græcis §. 1. atque Repertorium für Morgenl. und Hebr. Litteratur, P. I, p. 226 sequ.

rum fluctibus tutum occupare portum queas, ea, inquam, est disputatio, indolem spectans & modum, quo existere cœperit Alexandrina versio. Trinæ sunt potissimum hypotheses, quarum alia aliam labefactare adnititur; atque videntur harum causa instituta certamina, trium quondam virorum illa de imperio facta imitari, quæ deflorente Romana libertate in inclyta hac civitate obtinuerunt. Ad nostra usque tempora maxime arsisit vulgaris opinio, puro scilicet Hebræo codice usos fuisse Interpretes Græcos Ægyptiacos in transferendis V. Test. Libris. Quæ eadem opinio tamdiu non potuit non jus civitatis obtinere, dum curate satis nondum ullus Græcam versionem sub examen revocaverit, eamque cum Hebræo fonte contulerit. Hinc, ex anteaſto seculo Cel. CAPPELUM, WALTHONUM &c. præsentis vero ævi Cel. KENNICOTT, BRUNS, Ill. MICHAELIS, atque ad maximam librorum V. Test. partem EICHHORN & DATHE, magnum eruditionis suæ apparatus ad receptam sententiam vindicandam disſensumque Hebræi & Græci codicis sic explicandum, contulisse animadvertimus. Non retro autem annis nova quædam TYCHSENIO auctore explicandi ratio excogitata fuit, qua nimirum versionis Græcæ Alexandrinæ, cuiuscumque demum ea habeatur temporis, conditores, exemplaria Hebræa Græcis exarata characteribus adhibuisse, persuasum foret. Quod ergo ingenii acumen in priori defendenda hypothesi ostenderunt adversarii, idem etiam nominatus vir pro suo Vindicando Tentamine intendit. Rationes vero quibus utraque pars suam egerit causam, quoniam propius non tangant præsentem nostram opellam, longiusve nos distraherent, intactas relinquimus, donec nebulis earum dispulsis lucidior affulserit dies. Propterea tamen quæstio de exemplaribus Græcorum Interpretum, non rejectanei in Critica Veteris Fœderis

deris usus & ponderis merito habeatur, quin immo maximi, si modo aliorum accesserit studiosa diligentia & prudentia. “Etenim quædam nimis forte sedulo a TYCHSENIO tractata sunt & præcipuo favore in Hebræi corporis illud instar, quod jam nostris oculis & manibus “versare solemus” verba sunt SEMLERI Introd. ad V. T. liber. Interpret. §. 79. Multos quidem feliciter evitavit scopulos auctor Hypomnematum JOH. GRAFFMAN, novisque adauxit selectioribus allatam a TYCHSENIO sententiam exemplis; Nec tamen Celeb. DATHE & Illustr. viro EICHORN tantum videtur valuisse, ut locus non daretur & receptæ opinioni & alii antea quidem excogitatæ sed jam renovatæ hypothesei quoad quinque Mosis Libros. Hic in libro multis nominibus eximio, Introd. ad Lib. V. T. Part. I. & II. ut magnus Samaritani codicis pariter ac scripturæ Ægyptiaco-Phœnicicæ (quasi ea veteribus Hebræis usitata fuerit) patronus salutari amat, ita quoque Pentateuchum quem Samaritanis acceptum & hodie servatum editumque haud omnino frustra gratulati sibi sunt Critici, ipsum fuisse illud exemplar, e quo Alexandrinus translationem adornaverit, copiose admittitur probare. Sic a GUILIELMO POSTELLO, HASSENCAMPE, atque DATHE variis nec levioribus de causis adoptatam hypothesein lectoribus propinatam voluit. Quamquam vero neque hanc neque ceteras alias de Hebræo-textu e Chaldaicis, Syriacis litteris converso, exacte rimari permittunt sive vires sive limites quos præscripsimus nobis, tamen ulterius quam ad Pentateuchum illam de Samaritano cod. opinionem extendi non posse, quisque videt; dubia ceterorum librorum V. T. conversorum origine manente. Itaque totam hanc quæstionem utpote alii non autem huic loco propriam, in medio relinquere consultum ducimus & ad allegatas Recentiorum Auctorum commentationes, quemque

que Hebrææ antiquitatis amantem interea delegantes, ad alia adhuc prælibanda pergimus. Magna utique patet Alexandrinæ versionis utilitas, quamdiu difficilioris cujusdam loci in Hebræo sacri codicis idiomate deprehendatur nodus, cui solvendo varia adminicula Interpretes debeant adhibere. Quoniam autem non omnibus eadem Hermeneuticæ ratio ob oculos versatur, factum est, ut alii magis, minus alii se Græcæ translationi quasi alligarent, cui sæpe impensius quam ipsi Hebræo exemplo illustrando dedere operam. Per omnium quidem probatæ & curatæ fidei virorum scripta, ista percrebuit criseos regula, temere haudquaquam migrandam esse originalis sermonis scripturam, nisi argumentorum pondere ab alia meliori & veriori vincatur. Sin evidentioribus in locutionibus & verbis, corrigendi, uti dicitur, non temperetur studium, multo minus in difficilioribus paulo & obscurioribus locis adhiberi moderamen poterit. Prius omnino non modo supervacaneam verum etiam contrariam sacre Criticæ operam prodit; Quod vero ad posterius attinet, in quo ambiguitas quædam inest dictionis, medelam ex indigenis fontibus, id est, ex amplitudine sermonis Hebraici & cum illo cognatarum Dialectorum, arcessere primum oportet, antequam ad exoticos versionum rivulos pergas hauriendos. Qui huic non obtemperant regulæ sed translationis cujusdam varietati potissimum & fere unice fidunt, idem faciunt ac illi peregrinatorum qui patriam & quoad ejus historiam & comoda sibi plane incognitam deserendo, exteris apud gentes civitatem quærunt. Hoc in antecessum fundamenti loco positum, paucis tetigisse necessarium putavimus, exponere vero, pro substrata materie non vacat. Fert nempe consilium, ut examinemus diversitates Alexandrinæ versionis & cum textu quem ab origine habemus, quan-

quantum fieri potest comparemus. Et quum adeo vastum latumque stadium emetiri, longioris sit temporis & assiduitatis, partem nos Vet. Testamenti, Jesaiana continentem oracula, quibus enucleandis ut præclusus aliquantum videtur aditus, ita frequentior etiam invigilavit Criticorum industria, auspicabimur. At sic tamen, ut non omnia leviora momenta, quæque pluribus locis sint communia, singulatim sed generaliore nostra complectamur disquisitione; maxime autem ea, quæ, vel sensum vel linguæ analogiam cum primis tangunt, perstringamus. Qualis jam sit indolis Jesaia: Prophetæ, textus in Græco idiomate transparens, ex LOWTHO in Commentario quem dedit elegantissimo, optime cernere licet; (c) At, licet permagna ejus vitia indicaverit, nihilotamen minus eidem fere omne jus adjudicat in corrigendo textu Hebræo (d). Hinc quoque in Comment. Prologo ipse factus est, quinquaginta in locis se textus Hebræi impugnasse veritatem & ex Alexandrino vocabula mutuando, emendare studuisse (e). Quod quam tempestive factum sit, discutiendum. Laudabile enim quisque fatebitur esse Criticum studium sobrie cultum, anxium autem si justis non definiatur cancellis. Robur & maturitas ut dictis
con-

(c) Verba Reverendissimi LOWTH, ejus commentarius originali sermone non suppetit, ex German. vers. allegabimus, pag. 78. Part. I. f. Prolegom. habet: Unglychlicher weise hatte Jesaias das traurige schicksal einem seiner ganz unwürdigen übersezer in die hände zu fallen, denn schwerlich ist eine buch des Alten Testaments in dieser version so schlecht übersezt als Jesaias, wozu noch kömmt das derselbe ebensovohl als andre theile dieser übersezung äußerst uncorrect und durch häufige auslassungen und einschlebsel sehr veranstatet zu uns gekommen ist. (d) Demungeachtet hat sie bey allem diesen nachtheil, fehler und unvollkommenheiten immer noch einen grössern nützen zur berichtigung des textes als irgend eine andere. (e) Ufr. pag. 76 & 69 cit. Prolog.

conci-lietur, elegans Cel. DATHII in Præfat. ad Prophet. Minor. judicium de constituenda vera lectione, adposuisse juvabit; ita nempe pag XV. & XVIII. ille: Si Hebraeus textus interpretationem admitteret ab usu loquendi & Grammaticæ præceptis non abhorrentem, de alia lectione quæ forte ex versionibus peti posset, non putavi esse cogitandum. Nam sine necessitate illa textum mutare ex versionibus quæ semper tantum secundum locum in subsidiis criticis obtinent — religioni mihi duco, atque haud scio an Critici in Libris profanis hoc ferant (f).

Specimen tandem varietatum Alex. Interpretis in uno solum capite Jesaiæ dedisse, non supervacaneum plane judicabitur, ut constet utrum literaliter an secus verterit, adeoque cujusnam in hoc Jes. libro sit pretii habendus. Nonnullis quidem in locis litteræ nimis anxie hæsisse patet, quia idiotismos mere Hebraicos in Græc. sermonem transvexerit. Sic v. 12. מִיַּד יְמִינֵי עַל חַיְזֹנֵי הַיָּמִין, alibi מִיַּד יְמִינֵי פְרוֹשְׁתֵי פְרוֹשְׁתֵי προσθησετε, יְשַׁבְּחֵנִי פְּשֻׁכָּה מִבְּרַחֲמֵי יְהוָה reddit. In aliis autem toto cœlo distat a textu hodierno, atque manifesti lapsus reus habebitur, quia sanum nullum sensum ex versione ejus haurire queat ullus, v. 12. cfr. sequentia. כִּי דָּדָה אֵת אֲנִי. v. 14. כִּי אֵלֶּיךָ פְּלִשְׁמוֹנִי, quasi confuderit cum voc. כִּי forte ex scriptione Græca ΛΑΘΩΠΑΚ quam ΛΑΘΩΠΑΒ habuit. — אֵלֶּיךָ אֵלֶּיךָ אֵלֶּיךָ אֵלֶּיךָ אֵלֶּיךָ απο των ψυχων με. — אֵלֶּיךָ quod valebit: a coram, affirmative vertit: απεναντι, unde absonus sensus. Jam ordinem plane invertit, e. g. v. 6. ubi in hemist. post. ετε ελαιον ετε καταδεσμες habet, & inepte repetit יָנִים in med. vers. ετε τραυμα ετε μελων ετε πληγη φλογμαιωσα. v. 24 integram torisit sententiam,

B nam

(f) Digna quoque lectu sunt, quæ exstant in Dissert. Præf. AURIVILLIO Upsal. de Examine variantium lecti. in Hosea, §. 1.

nam retulit הווי ad נביר ישראל, quod synonymum est Divino nomini יהוה, perperam autem ab eo tractum ad popul. Israelit. hunc in modum: *οι οι ισχυοντες ισραηλ*. Sunt quoque exempla haud pauca quæ demonstrant Alexandr. Interpr. α) omisisse multa, ut v. 4. integrum vocab. ככשום quod tamen in ceteris omnibus versionibus comparer. v. 10. affix. ad voc. נלהבו & v. 15. ad כפיסם (Ne memoremus particularum latissimum usum) β) addidisse eum non solum pronomina sed etiam plenas voces; scil. v. 14 *ἀμαρτίας ὑμων* & v. 22. sequ. hemist. *καπηλοι*, una cum Syro, non autem Chald. & Vulg. v. 20. pronomi. με ad מותו addit: v. 31. posteriori hemistitio inferfit: *οι ανομοι και οι αμαρτωλοι*. v. 24. חנה quod a חנן consolari deduci debet, confudit cum חו & negativam superaddidit particulam, una cum vocab. θυμος (sonat enim versio: *ε παυσεται θυμος*). Interdum deprehenditur παραφραζεν, e. c. v. 25. omilla tota imagine quam a scoriis in metallis, servat Hebræus textus: *τας δε απειδοντας απολεσω και αφελω παντας ανομους απο σε*. Cfr. quoque v. 27. infra. Ut ergo pratereamus immensam, quæ in ipsis explicandis Hebræis verbis se exserit, varietatem, vel ex hac brevi levissimaque collatione, elucere arbitramur, quam varia sit Hebræi textus & LXX viralis dissimilitudo; Plurimis enim locis absone transtulit Græcus, nonnullis prestæ nimis litteram secutus est, sæpe vero ex linguæ suæ genio addidit vocabula quæ in Hebræo textu æque abesse potuerint; nec tandem in ullis omnino sua destituitur elegantia & auctoritate nominati Interpretis versio. Quapropter caute admodum adhibendam esse, omnes svadent bonæ Hermeneutica rationes, nosque instar normæ, ad quam examen de discrepantia ejus a textu, in sequent. instituetur, habemus.

§. II.

Cap. I. v. 2. Ut primum oculos in magnificum Prophetæ Jesaïæ exordium injicias & affectum ejus vel aliquantum assequi coneris, humi veluti scena non agi, sed altiorem in locum abrupte transposita sursumque eversa videbitur. Jehova enim ipse, splendida sua fulgens majestate, thronum occupat, populum suum quem a juventute quasi ad virilem usque ætatem tanta cura quanta in patrem non cadet, fovet, rebellantem autem jam & iniquum judicaturus. Neque clam causam aget sed presentibus testium choris e toto systemate stellato & terrestri convocatis; quibus ad auscultandum solenniter excitatis, judex ipse intonat: בָּנִים זָרַלְתִּי וְיוֹשְׁמַתִּי *filios a pueritia sua educavi & ad proveciorem ætatem transvexi* בָּרִי וְהֵם פָּשְׁעוּ *ipsi tamen in me rebellarunt*, vanam sectando superstitionem. Qua demumcumque ex parte consideremus allata verba, non solum nihil erit quod in sensum impinget, verum exacta omnia. Formam זָרַלְתִּי prim. pers. sing. Piel. Conjug. activam secum ferre notionem, ex frequenti Hebrææ linguæ usu & speciatim quoque in hoc verbo ubi educandi vis invaluit, clare admodum patet. Cfr. Jes. XLIX. 21. Lev. XIX. 15. Lucidius adhuc patebit, si vastum Arabum thesaurum aperias, in quo origines notionum omnium e contorquendi illa prima verbo זָרַלְתִּי panduntur. Funem nempe torquere, translato significato vel bonum vel malum quid indicare posse, docet linguarum harum genius, qui jam crescendo, magnitudinis & roboris in re quacunque, jam concidendi & altercandi ideam huic subdidit verbo. Ex notione firmitatis quæ sensim torquendo & crescendo in fune oritur, jucunda est Metaphora s. ad *pulum animalium*

um גַּדְלוּ *adultiorem* nempe, s. *adolescens robustiorem* h. e. enutritum & educatum s. ad *grana in aristis* גַּדְלוּ & *dactylos nondum maturos* גַּדְלוּ (a). Reliquas immediatas notiones sicco transeamus pede. Innotuit certe eadem hæc origo Antiquis Interpretibus, Syro qui verbo suo רבית exacte expressit Hebræum גַּדְלוּ; רבא scil. & Syris & Chaldæis *pollere viribus, crescere, germinare* valet. Vulg. Interpres, Symmachus, Theodotion, *enutriui* (b). Chaldeus habet כְּבִיזָהוּן *vocavi eos filios* quæ paraphrasis eodem recodit. Solus Alexandrin. quem Arabs sequitur reddendo ילדה, habet *εγεννησα*, quæ vox tantum arrisit Reverendiss. LOWTHO, ut veriorem & pulcriorem lectionem ילדה reputans, eam mox pro vulgari substituendam voluerit. Atqui obscurius paulo est, utrum aliter Alexandr. legerit, licet sic explicaverit (nam גַּדְלוּ quod enutriendi habet notionem, ad gignendi usque vim extendere potuit) an non delusus fuerit verbis hisce in Hebr. sermone dissimilibus, at si Græci ponantur characteres ΓΑΔΑΑΤΙ & ΙΑΔΑΔΤΙ, valde affinibus. Si posterius locum invenerit, multo minore jure de lectione definienda commodus erit testis, quum insuper apud KENNICOTTUM nullus collatus codex ילדה præferat, nec quidquam aliud firmet parallelus Jerem. XXXI. 4. locus, ubi Jehova dicit se esse *Israëli* אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל, quam Hebræam veritatem. Præterea ipsa analogia verborum גַּדְלוּ & רוּם synonymorum idemque sonantium, affectui apprime inserviet (c).

§. III.

(a) Cfr. GOLLII Lexic. Arab. (b) Atque Recentior. MICHAELIS in Verf. Germ. ich habe kinder großgezogen. Cfr. etiam VITRING. Commentar. ad h. l. (c) Non vero simpliciter & jejune ut multi existimant, in parallelis s. verbis s. locutionibus, repeti eandem sententiam, sed ex affectu & sensu id ortum ducere, eleganter differentem HERDER

§. III.

V. 3. Præmissa horrenda imagine brutorum, improbam Israëliticam, increpat turbam Propheta Divino agens nomine, hisce: **ישראל לא ידע עמי לא התברנך**, quæ verba in Hebræo sermone non modo concisa, verum etiam singula sibi invicem in utroque membro respondentia, exactam auribus pereipiendam sistunt harmoniam Sacræ Poeseos. Pertinet enim integer hic versus ad id genus parallelorum, ubi tetracola binis sibi oppositis distichis constituuntur, ut in Proleg. monet Rever. Lowth. In universum observasse juerit, nullum frequentius esse discrimen originariæ orationis & conversæ cujuscunque, nec ullum momentum in quo veluti & arbitrio translatoris & genio linguæ in quam transferat, & intelligentiæ eorum ad quos proxime directa sit versio, lectorum, & denique casui ac errori cuiuscunque vix semper effugiendo, plus tributum & accommodatum sit, quam in particularum quæ nexum constituunt periodorum, usu. Quod cum in Europæarum linguarum syntaxi valere, vel minimum in oratione ad aliam linguam flectenda adhibendum studium doceat, multo magis obtinebit, si antiquarum orientalium linguarum versionumque diversis temporibus conditarum rationem habeamus. Quamobrem si antithesin utriusque hemistichii alio sermone rite exprimere quispiam voluerit, haud abs re alienum erit, ad-versativam particulam subintelligere ad vocabulum **ישראל**,

B 3

quem-

in Geist der Ebreisch Poesie I. Th. p. 24. audiamus. Die poesie dichtet zuerst und zunächst für die empfindung, und ob diese den parallelismus nicht liebt? Sobald sich der herz ergießt, strömt welle auf welle; das ist parallelismus -- dies othemenholen der empfindung ist in allen reden des affekts, und doch ist in der poesie eigentlich rede des affekts.

quemadmodum tam veterum Alex. Syr. Aqu. Theod. & Vulg. quam recentiorum haud pauci interpretati sunt; quamquam etiam non incommode eadem particula in versione negligi possit, uti in Latina Celeb. DATHII factum. Liberiori sane fuisse a Veterib; Interpretibus admissum usum & conjunctionum & propositionum & pronominum, abunde probat diligens versionum collatio; atque hinc pariter, Hebræis ipsis scriptoribus interdum majorem concinnitatem brevitatemve, interdum abundantiam quamdam in congerie particularum, maxime in Poëtico stilo adamatam fuisse, patet. Erat enim antiqua Hebræa lingua liberioris & simplicioris genii, nec dum præceptorum grammaticorum rigore dicamne domata an exculta (d). Quod si ergo jam tantum de conjunctionum, quarum instar omnium fere est ו præfixum & ׀ (e), paullulum disseramus usu, jam ad morem Arabum ׃ periodorum nexui præsertim in Historicis libris inservire particulam ׀, jam in toto suo significandi ambitu adhiberi, jam quoque eleganter supprimi & omitti solere, manifestum est (f). Eximium ultimi asserti habemus in præsentis versiculo robur, ubi, facta tectaque si servetur textualis scriptio sine ו ante וּשְׁרָא, haud tenuem afferret secum vim in affectu, qui periodorum nexum respuit, concitando. Veterum vero Interpretum ut primum inspexeris versiones, excepto Chaldæo cui omnes Msc. cod. con-

(d) Jam diu acutissimi viri quam sollertes in ordinariis verborum speciebus & formis ab anomalia pertrita vindicandis & ad pristinum decus reducendis fuerint, sic etiam viam minus impeditam in constructione nominum & verborum indaganda feliciter panderunt. Conf. SCHROEDERI Institut. Ling. Hebr. p. 31. — 39. Dissert. Præf. CAR. AURIVILL. de numero Conjugat. in L. H. & de Differentia numeri & generis. (e) Vid. SCHROEDER. Institut. (f) Exempla passim circa lectionem S. Cod. inveniendæ.

concinunt, omnes sibi visi sunt aptius suis in linguis Hebraeam non posse repræsentare concisiores dictionem, quam si conjunctione adverbativa explerent. Nata hinc est Reverendiss. Lowtho conjectura, etiam in textu hodierno supplendum esse ׀, tanquam scribarum incuria olim deperditum; quasi vero ad fidem non pronius sit antiquos ipsos tantummodo suarum linguarum indoli semet attemperasse. Quod tanto clarius patebit, quanto sit certius, unumquemque qui soluta oratione gestierit ligatum carmen reddere conversum, persæpe conjunctiones vel copulantes vel adverbativas vel causales superaddere debere. Quam porro varie particulam Vav veteres æstimaverint, colligi etiam potest ex Latina versione Chaldaica paraphræcos עמדך לך אלהיך ישראל autem non didicit ut sciret &c. unde insulse statueretur ׀ e Chald. elapsum. Idem observandum in vocab. עמך quod secundum primitivam originem sine ׀ debere legi, confirmatum idem Chaldaeus dedit; Unde quoque inanis videtur esse suspicio, Alex. καὶ ὁ λαός — reddentem, quocum Syr. & Vulg. facit, deperditam servare scripturam עמך; Quid? quod si infallibilis hoc in loco Græco interpreti tribuatur auctoritas, aliam adhuc mutationem in עמך sine affix. pateretur vocabulum, siquidem pronomen affix. με, quod ex Cypriano & Chrystost. in nonnullis LXX vers. codicibus superadditum invenitur, non genuinum esse probat ex aliis locis Cypriani, Cel. Stroth in Beyträge zu LXX. Repertor. P. III. Ambiguum quidem videtur & Græcæ quodammodo favens, quod Misc. cod. a Kennicotto examinati XVI. hoc additamentum ׀ ׀ præferant; sed præterquam quod exiguus valde sit horum codicum numerus, respectu totius nubis reliquorum cum Masorethica amice conspirantium lectione, probabile admodum evader,

det, transcribentes sive de industria faciliorem reddendi textum cujus stilum non assequebantur, sive memoria lapsu sive demum ex versione Græca secundum quam magna codicum pars correctâ deprehenditur, aliud quid arripuisse quod genuinam non prodat originem. Temerarium ergo censeas oportet, ex versione LXX virali corrigere textum quem transtulerit antiquus hic Interpres. Innumera fere hæc conferri possunt exempla ex ipso Jesaiæ nostri libro, ubi ו-addendum ex Alexandrina vers. & nonnullis Msc. cod. nimis seduli Critici arbitrari sunt; sic v. 9. Cap. I. ad vocab. לעסררæ præmittendam ו voluit Cel. DOEDERLEIN in Commentar. provocans ad vers. Antiqu. omnes, & duos Msc. cod. — v. 26. ad וחררן כן ex LXX Syr. Chald. & XVII Msc. ו addit Rever. LOWTH. Idem una cum DOEDERLEINIO, v. 4. Cap. II. ex emendatione sua adjicit ו ante ושלל, nimirum quia Alex. habet: και ε ληφεται εδνος επ' εδνος μακαιραν. Reliqua bene multa loca brevitatis causa prætereamus.

Quod de particulis orationem conjungentibus hæctenus statuimus, tuto ponere licebit fundamenti & argumenti loco, in eis porro varietatibus quæ pronominum syntaxin concernunt. Ansam nobis subministrat locutio in eodem vers. 3. obvia: ושלל לל לא ידע cui pro more suo at frustra sollicitandæ, omnem moverunt lapidem Critici. Etenim in Alex. *Ισραηλ δε με εκ εγνω*, (quem ad litteram Vulg. sequitur & similiter, licet duriori paullo constructione Aquila & Theodot. — *με εκ εγνω*), inveniens Rever. LOWTH, non dubitavit corruptionis & erroris in omissione ושלל commissi, arguere nativam Hebræam lectionem, ideoque pronomen prim. pers. ut Græco vocab. *με* vel *με* responderet, ex Jerem. IV. 22. restituere.

Ve-

Verum enimvero, si vel allatos Interpr. in codice quodam affixum וְלִי conspexisse, daretur, quod tamen valde ambiguum, quia non solum Msc. cod. Hebr. nullus id servaverit, sed etiam & Syr. & Chald. omiserit, partibus tamen nimis adherere hanc suspicionem apparebit, juxta atque injuriam textui qui semper prerogativæ existimatione originis eminere debet, adspargere haud minimam. Equis credet Aquilam cum Alexandr. adeo tenacem singulorum verborum fuisse, ut nunquam in versionem vel arbitrarius & a primæva scriptione alienus sensus inferri vel labis quid irreperere potuerit? Id autem si posueris, idoneus nequaquam testis habebitur in mutanda sed tantum in explicanda vulgari scriptura, quæ rite omnino expressa est. "Nam diversus linguarum genus semper impedimento erit quo minus id quod Scrip-
ptor Sacer dicere voluit, in translatione accurate satis exprimatur, si vel maxime Interpres omnem adhibuerit attentionem; adeo ut semper præsumendum sit, errorem in Versionibus potius latere, quam in textu originali." Ut verbis utamur LILJENTHALI in Comment. Critica, pag. 495. Itaque, si ve pronom. prim. pers. suppleas & ad Deum proprius referas, ut in Ill. Mich. Germ. & Nov. Sv. versione factum, si ve generalius cum Cel. DATHE locutionem לֹא יָדְעוּ intellexeris: *Israël non novit pop. non intelligit* allusione quasi facta ad קְבוּרוֹ & כְּעֵלְיוֹ, salva manebit res. Posterius vero eo libentius adoptamus, quod similem plane declamationem in Popul. Israël. Cap. XLIV. 18. adhibeat Jesaias: לֹא יָדְעוּ לֵא יִבְיֹוּ *nihil vident, nihil intelligunt* brutis animantibus stupidiores. Quo pacto etiam nostro in loco fortius imago brutorum recurrere possit.



§. IV.

Verf. 4. Idem populus obstinatus aliis heic pingitur coloribus, absque scilicet impietate in propriam ruinam & veluti superstitionis pestiferam tabem, sensim semet ipse præcipitans. Fert id secum forma חִפְּיִל Hiphil neutrali accipienda significatu, quemadmodum etiam Vitringa in Comment. observat, II Chron. XXVII. 2. eadem hac Hiphil. Specie, de populo Israël. dici quod sit חִפְּיִל *se corrumpens*. Eundem sensum pariter cogitandum exhibuerunt teste HIERONYMO in Comment. ad Ies. ceteri Græci Interp. consona voce vertentes: *ὄρι διαφθεροσπες*, præter Alexandr. qui habet: *ὄρι ανομοι*. At eodem omnino recidit, siquidem neutralem habet usum Hiphil. Species. Propterea minime ad firmandam lectionem V codicum manu exarator. apud KENNICOTT. חִפְּיִל sine י Hiphilico sistentium, adferri possint Veterum quotquot *ὄρι ανομοι* *l. corrupti* verterunt. Ultima hujus verf. verba חִפְּיִל *retrocesserunt* aliam ob causam non asserere placet, quam ut de genuino eorum valore testimonium contra Alex. perhibeatur. Satis manifesto hinc elucet, quod in Alex. verf. incidere lapsus, per incuriam aut transferentium aut transcribentium; verba enim: *απηλοτριωθησαν εις τα οπισω* licet in Edition. nonnullis e. g. Varabli Aldina Complutenfi &c. leguntur, recte tamen, observante Cel. STROTH. in Beyträge zu Critik LXX Repertor. P. III. p. 225, censenda erunt ut glossa in Alex. e Vulg. illata, adeoque illi non propria, quippe quia abunt tam in Arabe quam in correctis LXX Editionibus, ut Vaticana e qua Parisiensis & WALTON. fluxit. Dicit quoque aperte BASILIUS illam phrasin: *απο τα Θεωδωτιανος προστιθεν εναι*, idem monente MONTEFALCONIO, (quamquam FLAMINIUS Nob. in Varianti-

tib.

lib. vers. LXX. Tom. VI. Polygl. Angl. adnotet, Procopium tribuere eam Aquilæ). Verosimilius hinc putat nominatus STROTH, Originem in LXX vir. versione non invenisse verba: ἀπηλλοτρι. &c. Saltem in Grabiano f. Alex. exemplari a BREITINGER edito, asterisco notantur quo signo Origenes exprimere sivevit defectum LXX vers. quicquid sit, nemini Criticorum ex silentio LXX vir. adhuc oborta est, nec potuit oboriri suspicio non genuinæ, quam textus conspiciendam, præbet, verborum faciei & significationis. Verbum ויר radicem recte posuit D. KIMCHIUS, idem faciens cum Chald. יסתחרו & Syr. והפכתון לבסתרכון.

Verf. 9. Cum in Masorethico textu שריר legatur & similiter apud Syrum, & Arabem qui בקיה — *reliquias* habet, Græcus autem & Vulg. σπέρμα *semen* exposuerint, non alienum heic videbitur observare, forte potuisse ambiguitatem & confusionem Alexandrino suboriri ex dubia quadam Hebræo-Græca scriptione. Nimirum si vocabula שריר & זרע Hebraicis litteris toto caelo dissimilima, Græcis characteribus ΣΑΡΙΑ & ΣΑΡΑ depicta habeantur, facilis admodum potuit esse permutatio & lapsus, non tam negligentia exscribentis quam ambiguitati potius formæ verborum adscribendus. Quod autem litteram ε cum alia sæpius confuderit Græcus, exemplo sit Pf. XCVII. 11. ubi זרע a LXX redditur: ἀνετελε, scil. a זרע; ש rursus cum ז mutationem in Hebr. difficilem, at facillimam in Hebræo-Græco exemplari, inter alia demonstrat Job. XXXII. 8. ubi זמרות transtulit: Φυλακας h. e. שמרות, iisdem quippe Græcis characteribus utrumque vocabulum exprimitur ΣΑΡΑΡΤ.

Vers. 12. duplici subest varietati, alteri a Syro oriunda, adeoque huic disquisitionis foro non propriae, alteri vero ab Alexandrino. Concernit autem ea non tam verborum quam ipsius ordinis & distinctionis indolem; *εδ' αν ερχεσθε οφθιναι μοι, τις γαρ εζητησε ταυτα εκ των χειρων υμων πατεν αυλην με ε προσδησεθε.* Unde sanum sensum nemo efficere valebit, nisi statuerit, id fuisse in Divinam sanctitatem crimen, quod praebuerint se Judaei *spellandos in templo* פני הרמות h. e. cultui sacro interessent. E contrario autem & ipsa res & contextus edocet, reprehendi heic insanum quo Divinam Majestatem in solenni cultu blasphemarunt contemptum; unde facile colligitur, in pejorem sensum sumi debere Hebraeam phrasin *סמך רצף* *conculcare atria*, non autem instar synonymi *טו רצף כהצף* ut censuit Cel. KOPPE. Veritatem dicto conciliet locus Ezechiel, XXVI. Cap. v. 11. ubi de hostili impetu dicitur *סמך רצף* quando terram praedando & evertendo veluti quatit hostis ingruens. Nemini nempe non obvium est, *conculcandi* ideam apte transferri ad omnem injuriam & impietatem, unde foedifragi Trojani ap. HOMER. *Il. Δ. v. 157.* Κατα δ' ομοια τινα πατησαν dicuntur. — LXX autem: *πατεν την αυλην* reddentes & a praecedent. sejungentes, opus habebant defectus supplendi causa ex sequ. v. revocare verba *סמך רצף* ל. Eadem illa vocabula iterum repetere invito licet Alexandrino, in animum induxit Rev. LOWTH: *Betretet meine vorhöfe nicht mer, bringt nicht mer wänuse offer*, ut verba in German. vers. audiunt. At nodum in icispo quærere non operæ pretium erit, cum ex Masorethica interpunctione praesentibus DATHE, MICHAELIS & Nov. Sv. optimus elici queat sensus. Propterea nec pronomen *אני*, ut existimat Celeb. KOPPE, referatur ad praecedent. vers. 11, nam ad

per appositionem pertinet. Cujus syntaxeos exemplum, aliis omissis, erit Ps. VII. 4. אִם עָשִׂיתִי זֶה
 אִם יָשׁוּ עֵינַי בְּכַפֵּי יְהוָה *si fecerim hoc, si iniquitas fueris in manibus meis, h. e. si fecerim quod iniquum sit.*

§. V.

Verf. 13. Præmarium orationis scopum in eo verti; ut Propheta Divino nomine increpet pietatis sub larva & externorum rituum umbraculo latentem summam Judæorum injustitiam, jam antea vidimus, tum quoque ex hoc non obscure intelligitur. Collectæ scilicet sunt hoc in versu, festorum & cerimoniarum Divini cultus causa celebrari solitarum haud paucæ imagines, quarum tamen numerum augere multis in mentem venit, ut primum jejunandi ritus mentionem in vulgari textu prætermissam cernerent. Dedit huic conatui inprimis opportunitatem Græca τῶν ο versio, quæ pro eo quod in textu legitur אִם יָשׁוּ עֵינַי בְּכַפֵּי יְהוָה habet *νηστεיא καὶ ἀργεῖαν jejunium & otium*, manifestum quasi esset indicium veriorum scripturam in Hebræo deperditam & cum voc. אִם scribarum vicio mutatam, in Græca codice feliciter retentam esse. Itaque Cl. HOUBIGANTIUS Bibl. Hebr. Tom. IV. p. 4. jam conjectatus est pro אִם legi debere אִם, sectantesque sibi adquisivit Reverend. LOWTH & KORPE. Quodsi sensum hinc oriturum spectaveris, facillimus atque elegantissimus omnino prodibit; sin vero veritatem lectionis quidque Scriptor ipse sentierit, indagandi sic constitutum, paulo attentius, tum ad verba textus, tam ad testimonia ex antiquitate residua examen revocetur necesse est. Ne ergo in repetendis antea dictis de incertitudine genuinæ indolis codicum quibus usi sint qui olim Græce transferrent

Hebræum textum, creemus molestiam, multo etiam convenientior atque sententiarum harmoniæ aptior quam vulgo habetur, erit recepta scriptio און ועצרה. Nimirum præcessit in priori versus membro ubi sacrificiales oblationum & suffituum ritus memorantur, מנחת שוא oblationes iniquitatis, h. e. pro Hebræi sermonis usu, *iniquæ* ex iniquo pectore & consilio ortæ, cum impietate conjunctæ (a); cui locutioni amice respondet illa in sequenti membro און ועצרה לא אוכל און ועצרה, quod festorum enumerationem complectitur. Fortius ne quid ac orationis consilio congruentius cogitetur, quam impium reprehendere animum, sanctitatem simulantem ac in aliorum injuriam pronum? Proditur enim in eo quam maxime hypocrita malis deditus artibus, quod sacra profanis miscere haud dubitet, sed quemadmodum HORATIUS Epistol. XVI. Lib. I. v. 58 sequi eum pingit vividis coloribus,

Quandocunque Deos vel porco vel bove placat
 Labra movet metuens audiri —
 Da mihi fallere, da justum sanctumque videri
 Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.

At, supervacaneum videtur a Prof. Scriptoribus exempla cogere, quum multo frequentius, castius ac efficacius Divini doctores characteres dederint vitii ejusdem, cujus apud nostrum Prophetam horrenda heic sistitur imago. Si ergo cum Cel. DATHE verba און ועצרה per figuram, *ev dia duon* appellatam, reddamus: *festi dies iniqui*, vel (ut melius forte ab aliis e. g. Rec. Svec. Interprete factum), seor-

(a) Siquidem און & און synonyma esse vocabula, illudque non tam vanitatem quam malitiam & peccatum morali sensu significare, probant Arabismus & alia Scripturæ Sacræ loca. Ps. XXIV. 4. Job. XI. II. Jes. V. 18.



seorsim explicemus, apparebit elegantem esse congeriem plurium festorum dierum cum vocab. פֶּסַח , adeoque integrum membrum reddi debere: *Novilunia & Sabbatum, eminentiores festivitates, iniquitatem & festos quoslibet dies simul non perferam*, cfr. Amos V. 21. Atque sic secure satis possumus ex ingentibus Interpretum fluctibus enatare & conjecturarum cautes pariter ac versionum tum antiquarum tum recentiorum ambigua evitare refugia. Nam non uno modo sed vario, conati sunt veteres hunc exponere locum. Nec Chald., nec Syrus cum Alexandr. facit. Recedit quoque a Græco, Latinus, indigitante id versione ejus: *iniqui sunt catus vestri* hodiernam omnino corroborante lectionem. Præterea unanimi consensu omnis cod. Msc. cohors veritatem textui & fidem vindicat. Incommoda porro quibus premantur tum Vitringæ, (voc. פֶּסַח in parenthesi, *res vana est* legentis,) tum VARENII, (qui פֶּסַח significatu concessivo *quamvis* sumsit,) commentationes exponere non hujus est loci; ut nec ad omnem illum conjecturæ apparatus descendere, quo Cel. KOPPE in not. ad Comment. LOWTH. hunc una cum sequ. versu sibi suspectum visum, ex ingenio corrigere fategit, fines nostri permittunt. Quo verius enim Prophetæ oratio ex linguæ analogia explicetur, eo citius aliorum evanescere putamus molimina.

§. VI.

Verf. 15. Observavimus ad §. III. quam varii soleant Veteres Interpretes & præsertim Græcus in particulis Hebræi textus exprimendis esse ac sibi minus constantes. Nimis itaque eorum diversitati fidere, accurato versionum critico usui parum convenit. Perpicuum nobis præ-

praesenti in vers. exhibetur argumentum, haud infvetum
 fuisse Alexandrino, aliisque, jam conjunctionem γ quasi
 praeter volare, jam propositionum loco praefixas nomi-
 nis litteras, sui sermonis genio accommodare. Quod e-
 nim ad prius attinet, omisit Graecus quidem in transfe-
 rende וּבְפִרְשָׁם, particulam Vav exprimere, sed eo sal-
 tim usque non id valebit, ut primæva scriptionis origo
 in Græco, non in Hebræo transpareat. Quis quæso ab
 ullo translatore tam magnam immo molestam exactitu-
 dinem postulet, ut quamlibet vel minimam litteram ac
 particulam det conversam? Cogitet secum quisquis an-
 non innocue, inclytus ille de Poësi Asiatica commenta-
 tus Vir Cel. JONES in descriptione SIMONIS ONIÆ, quam
 ad verbum Hebraice dedit, inter alias, hanc Græcam sen-
 tentiam: *ὡς σελήνη πλήρης ἐν ἡμέραις* transtulerit: וכִּירָר
 וּכְבֹן זֵית סְפָרִיָה *ὡς ἐλαία ἀναθάλασσα καρπῆς* כִּבְשֵׁלְמוֹתָי
 וּפְרִירָי; Græca porro verba: καὶ αὐτὸς ἕως παρ' ἐσχαρασθῆμε
 הוּא כְעֶמֶר עֲצֵל מִזְבֵּחַ. Quod jam in convertendo ad
 Hebræum e Græco idiomate licitum sit, minusne vicis-
 sim cum ex Hebræo ad Græcum vertatur obtinebit? Cer-
 tum quoque est, LXX Int. pressius non sequi litteram,
 sed multo negligentius, licentius multo in Jesaiæ libro
 quam alibi suum obiisse munus. Dilui ergo facile posse
 objectiones nonnullorum Criticorum γ eliminare cupien-
 tium e voc. וּבְפִרְשָׁם, tanto æquius erit statuere, quan-
 to fortior evadet sententia si vulgaris retineatur particu-
 la, in notione haud infrequenti *quampvis, licet* sumenda.
 cfr. Eschl. XIV. 14. Gen. XVIII. 27. Nold. Concord.
 Certe apud Chald. ac Vulg. remansit vestigium, γ γ ,
 dum ille transtulerit וּכְרָר, hic $\text{\textcircled{E}}$ cum. Valebit idem de
 pluribus aliis locis e. g. v. 23. Cap. hujus Jes. ubi con-
 jun-

junctionem ꝛ elidendi occasionem e LXX sibi datam putarunt nonnulli. Ulterius circa formam Hebr. בפרשכם neminem later, frequentissimus ille Hebræum mos, infinitiva aut cum aut sine præfixis adhibendi instar finitorum, præsertim ubi concisior regnabit stilus. Hoc quippe pacto verborum infinita forma ad certum restringitur tempus. Valet ergo *ἐντισ* Ex. XVII. 4. כלכתך *quando discedes*, similiter nostra וּבפרשכם *quamquam extenderitis*, vel quando, si extender. Alex. habet: *ὄταν εὐτενέτε τὰς χεῖρας πρὸς με*, ut ex Arab. Alex. Venet. & Chrysof. restituit Cl. STROTH cit. Repert. Neque ultima verba ירוכם רמים מלאו intacta reliquit recentior critica, quippe quæ conjunctionis particulam כִּי desideravit, in Antiquis autem versionibus comperit, exceptis Syro & Misc. cod. Negari quidem tantisper nequit, Antiquos nonnullos utrumque membrum (voluisse) particula conectere; quum vero sciscatur, ideo in textum hanc inferendam esse, veremur sane quam maxime, ne concisior Hebræi sermonis stilus cum languido quodam pessime commutetur; quo pacto etiam fiet, ut, concitator affectus extinguatur. Quamobrem elegantiar orationis plerique consuluerunt, ut Ill. MICHAELIS, DATHE, DOEDERLEIN cet., supplendum nihil existimantes.

Verf. 20. Graves a summo Jehova sui contemptoribus jactantur minæ hisce verbis: חרב תחבלי *gladio conteremini* vel ut DATH. *peribitis*. Antiqui omnes eundem dederunt sensum, alii tamen aliam secuti constructionem, Græcus quippe, cujus vestigiis Vulg. & Arabs pressè insistit, verbis: *μαναίσει κατεδέται ὑμᾶς*, activam heic prætulisse videtur notionem, atque propterea multo faciliorem vulgari passiva syntaxi eam habuerunt multi. At vero

Analogiæ linguæ adeo, quidem passiva forma respondet, ut nihil difficultatis ciere debuisset. Quem enim præfixi ב omisso in חרב sollicitare poterit, dum modo liberio-rem apud Hebræos præpositionum usum pluribus exem- plis confirmatum sciverit? Ne memorem Hof. I. 2. ubi תחלת a LIGHTFOTIO in principio (ב subintellecto) expo- situm est, fortior adhuc in Ps. XXXIX. 7. adest probandi vis: הכל יהמוך אך *jam vanitate commoventur*, turbati sunt, sub הכל præfixo ב aut מ subintelligendo. Jobeo pariter in loco Cap. VI. 14. etsi paulo vexatori: למס מערהו חסר *qui misericordia in socium contabescit* commiseratione focii tangitur, חסר in Ablat. sine præfixa præpositione, at suppressa. Optime ergo Hebræum idiotismum expo- sisse censendi sunt veterum Chald. qui תתקשלוך & Syrus: בתרבת תתאבלון, habent. De cetero nec in KENNICOTTI opere, aliquid diversitatis invenitur, muta- tioni vel alienæ constructioni ansam daturæ, nisi quod nonnull. cod. תאוכלו habeant, formam plane cum Ma- forethica coincidentem, siquidem Schurek & Kybbuz sæ- pissime in Mic. alternare observarunt omnes codicum examinatores.

Verf. 27. Adeo hic versus Interpretes vexavit & ab illis vicissim vexatus est, ut si aliquantum obscurior esset Hebræus textus, pedem ubi figeres vix haberes. Eleganter Cel. DATHE in not. ad h. l. probavit, alio trahi sen- sum non posse quàm ad captivitatem Babylonicam & re- ditum ex illa; huc quippe spectant non solum clara hu- jus verf. verba verum quoque pulcherrimæ imagines in præced. 25. ac 26. obviæ. Quam ob causam ad incolas Sionis urbis, quasi ישביה ab origine in textu extitisset, cum Cel. DOEDERLEIN in Comment. ejus hæc referre vel- le,

le, contextui repugnat æque ac saniori Criticæ. Aliam conjecturandi occasionem Græcus interpretes exhibuit III. MICHAELIS & Rev. LOWTH, aliisque in eo consentientibus שְׁבוּ *captivi*, *exules* (a rad. שָׁב rectius שָׁבָה *captivum duxit*) legendum esse pro textuali שְׁבִיָּה, *reduces ejus*. Nec tamen ad tempus Babyl. exilii sic quidem retulere III. MICHAELIS & KOPPE vocabulum שְׁבִיָּה, sed a propria hujus notione ad metaphoricam *oppressionis*, *vexationis* quamdam, transeundo, ultimis Hilkiaë annis applicuere. Verum singulari huic significatui טַעַם שְׁבִיָּה *die von ihren obrigkeiten unterdruckten* ut est in Or. & Exeg. Biblioth. Theil. XIV. p. 100. parum conciliet roboris citatus locus Ps. XIV. 7. aut si adhuc suppeteret alius. Infirma etiam est Alex. versionis auctoritas: μετα γαρ κειματος σωθησεται η αιχμαλωσια αυτης cui plane adheret Arabs, adeoque posteriori ævo factum esse additamentum: η αποσβεσθη ex Hieron. & Vulg. in Venetam Edition. LXX insertum, consequens est. Indubia certe indicia erroris in Græco interprete servari inde patet, quod sine omni sensu translulerit, atque sic evictum dedit, se de vera scriptura vacillasse formæ שְׁבִיָּה, qualemcumque autem pro re nata apprehendisse. Qua in ambiguitate, minus aptum videtur argumentum pro mutandis punctis e LXX vers. arcessere. Vetat id Vulg. Interpretes qui dum dissimiliter plane a LXX, exposuerit *reducent eum in justitia* radicem שָׁב cogitandam offert, eodem Chald. תּוֹבוֹן quoque ducente. Impedit denique ipsius textus evidentia, quo minus quidpiam sollicitetur, nam qui redimuntur ex aliqua captivitate necessario reduces erunt, & vice versa, quasi plenior constructio fuisset: שְׁבוּ מִן הַשְּׁבִי, *reduces e captivitate*, prout reperitur Nebem VIII. 17.

Verf. 28. וְשֹׁבֵר פְּשִׁעִים וְחַטָּאִים יִחַר. *Et fractura*
h. e.

h. e. exitiabilis, summa clades erit *rebellantibus & peccatoribus una*, uno velut imperu rebelles & improbi peribunt, confringentur. Si Hebraismi indolem quæ verbi Substantivi ellipsin haud infrequentem admittit (a), spectaveris, dilucida admodum manebit constructio ac inoffensa, præsertim in graviori hoc dicendi genere, quod nimis quantum alias langueret. Quapropter mirandum, Criticos nonnullos, ellipsin verb. subst. nimis duram venditantes, in turbanda recepta lectione fuisse sollicitos. Igitur non multum nos moratur, ingeniosus licet artamen hinc alienus conjecturæ modus, ab Illustri Auctore Bibl. Orient. & Exeg. admissus in vocab. כּוּרִי. Nec quidquam efficient, si qui fuerint Cel. KOPPIO & DOEDERLEINIO assensu suo festinanter adstipulantes, quasi nomen כּוּרִי locum tueri vix posset, cum eandem formam Antiquorum unus & alter non expresserit sed verbalem 3. pl. Quamquam enim dubio careat, Alex. dedisse: καὶ συντριβήσονται οἱ ἀνομοί (similiter Arabem & Chaldæum); commode tamen eadem verba ex Masorethico textu se derivare patiuntur, præsertim quoniam Syrus כּוּרִי *contritio* autem Hebræam vocem retinuerit, eademque in omnibus Misc. cod. fundamentum habeat. Ad parallelismum quod attinet, quem nimis sæpe exigunt multi, ille profecto magis in sententiis quam verbis obtinet; Lucida nimirum in ipso sensu adest Analogia, non item quoad Grammaticam formam, nec requiretur, multo minus ex versione restitui potest.

(a) Cfr. Regul. 65. apud SCHROEDERUM in Instit. L. Hebr. Neminem quoque latere potest apud Latinos non inusitatum esse, ut verbum substantivum omittant. Exempla congeffit Cel. JANI in Lib. de Art. Poët. Lat. pag. 107. Varium & mutabile semper femina. Æn. IV. 569. Turpe senex miles, turpe senilis amor. Ovid. Amor. I. 9. 4.

